

D. D.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
QUÆSTIONEM SOLUTURA:  
**NUM ET QUATENUS**  
**POENÆ CAPITALES**  
**SINT JURIS NATURÆ?**

CUJUS PARTEM PRIOREM,  
CONS. AMPL. SEN. PHIL. IN REG. ACAD. AB.  
*Publicæ disquisitioni submittunt*

**JACOBUS**  
**TENGSTRÖM,**

PHIL. MAG.

ET  
**ISAACUS SCHRODERUS,**

OSTROBOTNIENSES.

Die XIII. Junii MDCCLXXVII.

L. H. A. M. S.

---

*ABOÆ,*  
Impressit JOHANNES CHRISTOPH. FRENCKELL,  
Reg. Acad. Typogr.

1777

S:Æ R:Æ M:TIS  
SUMMÆ FIDEI VIRO  
*Supremi Regii Dicasterii Aboënsis*  
PRÆSIDI,  
EQUITI & COMMENDATORI  
*Reg. Ord. de stella Polari,*  
NEC NON  
EQUITI *de Reg. Ord. Ensif.*  
ILLUSTRISSIMO atq; GENEROSISSIMO  
LIBERO BARONI  
**D:NO AXELIO GABR.  
LEIJONHUVUD,**  
SUMMO LITTERARUM PATRONO ET  
MÆCENATI  
SACRUM.

Felicitas illa: multis salutem dare, & ad vitam ab ipsa morte revocare, & mereri clementia Civicam. Nullum ornamentum Principis fastigio dignius pulchritusque est, quam illa corona ob cives servatos. Non hostilia arma detraicta viris, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia. Hæc Divina potentia est, gregatim ac publice servare: multos autem occidere & indiscretos, incendiis ac ruinæ potentia est. Sen. de Clem. L. I. C. XXVI.

§ 1.  
**D**iversas gentes diversis temporibus, jura humanitatis æque religiose haud quamquam servasse; passim nos edocet Historia. Prima illa mundi secula, barbarie crassisque ignorantiae tenebris obruta, ad illa vix attendisse, nedum farta testaque habuisse, jure suspicari licet optimo. Ad vim omnis disceptatio rediit. Jura legesque vana sine re fuerunt nomina. Ferocia indomita animos tenuit hominum, sanguisque minutissimas ob causas effusus est. Inter plurima quæ remansere feritatis hujus primæ vestigia, duritas etiam illa merito referenda est, quæ ad recentiora usque tempora, in Legibus omnium fere gentium dominata est. Ostendit hæc satis superque, primos mundi incolas barbaros & ab humanitate fuisse alienos, si vel nulla hujus rei ex Historia colligi possent testimonia. Leges enim in civium licet salutem securitatemque sanctæ, eidem saepè quam na-

xime fuerunt adversæ, durae & in humanitatem injuriae. De Legibus in primis pœnibus, quod olim de DRA-  
CONIS Legibus dicere solebant *Athenienses*, illas sanguine fuisse scriptas, merito dicendum fuit. Genium pri-  
morum seculorum asperum & immitem sapiebant, mor-  
tem vel minimis peccatis irrogantes. Dura & lenta sup-  
plicia, crudelitate primum introducta populorum & Prin-  
cipium, rata stabilitaque fecit consuetudo, quin & ipsa  
sepe Legum auctoritas. Ut alia præterea.

Hisce cum malis totum fere mortalium genus con-  
flictatum est, donec barbarie tenebrisque depulsi, *Euro-  
pa* ad mitiorem & saniorem sensum redire coepit. O-  
piniones & consuetudines inveteratas debellare ausi sunt  
viri de salute generis sui solliciti, veritates utiles e te-  
nebris eruere, & in hominum Civitatumque eas con-  
vertere commodum. Leges itaque incudi etiam redditæ,  
& ab innumeris quibus scatebant mendis vitiisque repur-  
gatae sunt. Consuetudines autem & errores vetustate cor-  
roboratos, uno ictu non facile excidi, ut plura alia, ita  
& emendatio Legum luculentissime docuit. In illis enim  
emendandis perficiendisque, Civitatum Rectores diu li-  
cet multumque desudaverint, multa tamen (quod pace  
tantorum hominum dixerim) restare quæ corrigi possint,  
tuto affirmare licebit.

In poenis statuendis capitalibus, a recto in pri-  
mis sape adhuc dum Leges aberrare videntur  
moderna, quibus quippe æquo frequentius sœ-  
viunt. Plerique illarum minis referti sunt Codices, pau-  
cissimisque in locis, pro merito, de illis cogitatum est  
leniendis minuendisque. Ill. MONTESQUIEU, celebris  
ille libertatis & humanitatis defensor, in libro, quem  
*Esprit des Loix* inscripsit, pœnarum hanc atrocitatem ex  
parte

parte impugnare adoratus est. Alacrius & ex instituto  
magis, eandem operam sibi summis ill. BECCARIA, in li-  
bro aureo: *Dei Delitti e delle Pene*, ubi illas plerumque  
tam iniquas, quam Civitatibus & humano generi noxias  
esse, gravissimis probatum dedit rationibus.

In præsenti hacce opella, vestigiis tantorum viro-  
rum infistere conabimur, num & quatenus pœnae capita-  
les *Legi Nature* convenient, & quo deinde jure in Civili-  
bus statuantur, explicaturi. Utinam vero vires nobis sup-  
petant, ad causam tanti momenti digne perorandum,  
verbaque, dum pro Civibus, pro toto hominum genere  
dicendum est, nunquam nos deficient idonea. Voti no-  
stri damnatos nos esse fatebimur, si vel unus aut alter  
commiseratione generis sui tangatur, si jugum, quo  
premuntur æquales sui, observare & horrere incipiat.  
Sensim sapiunt mortales: sensim evanescunt præjudicia.

## §. II.

Ut autem conatus nostri, firmis nitantur fundamen-  
tis, rem a capite repetamus, ideoque de finibus juris  
puniendo, in genere quædam ante disputabimus. Princi-  
pem non solum punire juste posse, verum etiam ad pu-  
nienda delicta obligatum esse, tam Naturæ quam Civita-  
tum Leges satis superque evincunt. Cum enim Civitatis  
Civiumque salus & securitas finis sit, ad quem omnia  
ejus consilia & facta referri debeant, nihil eorum, quæ  
ad illum obtinendum conducere queant, ipsum, salva  
justicia, intermittere posse certissimum est. Si Legibus  
auctoritas honosque constabit suus, ut mandata earum  
observentur, & violatores puniantur, maximo studio e-  
niti debet Summus Imperans. Impune si illa violare li-  
teat, fieri non potest quin Leges contemni habeantur,

porta sceleribus pandatur apertissima, & in discrimen  
salus securitasque vocentur Reipublicæ. Illecebra enim  
maxima peccandi spes impunitatis est.

Ceterum sive jus hocce Principis puniendi ex consensu  
hominum Civitates constituentium, cum PUFENDORFIO,  
sive ex communi puniendi jure, quo ante Civitates conditas  
instructi fuerunt singuli, in ipsum delato, cum GROTIUS &  
LOCKE deducere placeat, illud tamen non nisi in bo-  
num Civium tendere debere, facile intellectu est. Mali  
quidpiam ob delicta præterita, nulla ratione utilitatis  
publicæ in posterum habita, alicui infligere, non modo  
nihil habet generosi, verum etiam injustissima & huma-  
no animo indigna, dicenda est vindictæ cupiditas crude-  
lisque (a). *Nemo prudens punit quia peccatum est, sed ne  
peccetur; revocari enim præterita non possunt; futuri pro-  
hibentur,* ait SENECA post PLATONEM. Ingeniosus  
Scriptor, Anglus natione, egregie hac de re distlerit, cu-  
jus verba, ex interpretatione Gallica, non possum mihi  
temperare, quin hic adferam "Le vrai principe, qui doit  
exciter un homme à punir les semblables, doit tou-  
jours être quelque affection bienfaisante. Un honnête  
homme ne peut s' approuver dans ces sortes de de-  
marches, qu'autant qu'il agit par un tel principe, &  
qu'il les juge nécessaires pour un plus grand bien. Ce-  
la est si vrai, que lorsque nous voulons justifier les  
châtiments Divins, nous avons toujours recours à ces  
sortes de considerations, lesquelles nous montrent qu'ils  
sont dictés par la bonté, & qu'ils ont pour but  
d'assurer le maintien des Loix, que Dieu a faites pour  
rendre ses créatures heureuses, de les porter à la ver-  
"ca,

(a) V. Burlamaqui *Principes du Droit des Gens* T.  
VII. pag. 66.

tu, & de les detourner de vite; & ce sont-là les rai-  
sons, qui nous les font regarder comme justes & fa-  
lutaires" (b).

Ultra quam saus securitasque requirant Civium, pos-  
tas itaque extendendas non esse certo certius statuitur.  
Majus in se vitamque suam Principi neutquam tradere  
potuerunt jus Cives, quam ad hunc finem necessarium  
erat obtainendum, & quod cuique Lege concessum fuit  
Naturæ, utpote quæ omni loco & tempore, omnibus  
immota tradere debet vivendi & agendi præcepta (c).  
Nullis illa pactis Legibusve Civilibus reddi potest irrita.  
Superbiæ, effrenatisque malorum Principum non cedit  
cupiditatibus. Particula quædam voluntatis sapientiæque  
Divinae, æque ac summus hicce Legislator, Auctor ejus,  
immutabilis sit necesse est.

Imo, si vel Principis absoluto puniendi arbitrio  
se subjecere potuissent homines, illos tamen adeo salutis  
securitatisque suæ fuisse oblitos, ut id revera facerent, pa-  
rum certe habet probabilitatis. In majus utique discri-  
men vitam adduxissent suam, si adeo unius submissa  
fuisset imperio, ut ille pro lebitu, cuivis eam auferre  
potuisset peccanti. In statu enim Naturali, injustam vim  
vi repellere saltim licebat, cuius hic nulla remaneret po-  
testas. Nec aliud, nec majus itaque jus hoc puniendi es-  
se potest, quam quod quantumque Civium saluti securi-  
tatiæ promovendæ sufficiat, h. e. nec sapientius, nec  
severius quam opus est, punire debet Summus Imperans.

§. III.

(b) v Hutcheson *Systeme de Phil. Mor.* Tom. II. L. II.  
C. IX. §. XI. Hobbes de Cive C. III. §. II. præter alios.

(c) Locke de Imp. Civil. Cap. X. §. II. C. XIII. §. X.  
C. XIV. §. IV. & pluribus locis.

Hoc autem quo recte fieri possit, ne vel puniat cum punito opus non est, vel graviores maleficio poenas infligat, quam quæ fini satisfaciant obtinendo, necesse est ut certa detur mensura, ad quam peccata exigat eorumque supplicia. Omnia peccata æqualia esse, *Stoicorum* ex mente statuere, potius argutæ & perversæ sapient Seçtæ hujus philosophandi rationi, quam justitiae Legis Naturalis convenire videtur. (d) Delicta itaque cum sint inæqualia, inæqualia etiam esse debent supplicia, ne omnis, de diversa scelerum atrocitate, sensus ex animis tollatur hominum, & ad atrociora committenda quasi incitentur improbi. Certa inter poenas delictaque esse debet proportio; certa mensura ad quam ultraque referantur, cum periculum sit, ne justitiae, bono Civitatis & humanitati inimica alias adhibeantur supplicia. Legislatores omnia delicta æqualiter puniens, Medico mibi similis videtur, eadem medicina omnes ægrotos, quocunque demum morbo laborarint, sanare cupienti.

Quænam autem hic adhiberi debeat mensura, de eo inter omnes non convenit. (e) Magnitudinem delicti, à persona quæ eo læsa est, affinant: a lædentis proposito: ab interna quadam delictorum natura, qua vel magis vel minus haberi debeant atrocia turpiaque, quam ob causam & supplicia in capitalia ex natura, & capitalia ex Lege diviserunt. Et sic porro. Vel autem infirma sunt hæc principia, vel difficultia admodum applicatu, si ex illis scelerum æstimanda fuerit atrocitas. Damno, quod ex delicto capit Respublica, magnitudo ejus in foro humano

(d) v. Ciceronis *Paradoxon* II. (e) Pufend. *Jus Nat.* §. Gent. L. VIII. C. III. §. XVIII. & seq. Burlam. *Princ. du Droit des Gens* Tom. VII. p. 76.

mano rectissime metienda est. (f) Cum enim omnis opera studiumque Principis, non nisi in salute procuranda publica, Civiumque defendenda securitate versari debant, in delictis neque alia respicere debet, quam quæ his contraria noxiaque sint. Faciliori præter ea negotio, delicta ex hoc fundamento æstimata, juste & cum uero Civitatis vindicari posunt; cum contra ea non possiat, non Legislatores æquitatem sæpe, vel utilitatem offendere Reip. illa ad alias quascunque relata mensuras, purantur.

Liquet itaque hinc, penas aliis irrogari non posse delictis, quam quæ saluti & securiati officerint publicæ. Peccata, nihil prorsus vel minus Civitati nocentia, penis multæ boni Legislatoris non est, cum hoc facto, Cives malo quodam afficeret, unde nulla Reip. proveniret utilitas. Delicta æque Civitati non exitialia, neque pari supplicio plectenda sunt; quæ autem gravius securitatem læserint publicam, gravius, quæ levius, minus levere vindicari oportet. Sed cum quævis supplicia in salutem securitatemque tendere debeant Reip. nec alia, nec majora esse debent, quam quæ huic fini sufficiant obtinendo. Mitioribus itaque si securitati concili possit Civium, asperioribus uti ne dicam humanitas, verum etiam justitia vetat naturalis. Si contra ea animadverteret Imperans, securitatem periclitari Reip., nisi suppliciis utatur gravioribus, illis abstinere salvo officio suo haud poterit. Stat semper regula: *Salus Populi suprema Lex esto.* "C'est par la fin legitimate des peines" Auctor quidam ait celebris "qu'il faut les retenir dans leur justes bornes, puisqu'elles sont distinctes a procurer la sureté"

(f) Beccaria *Dei Del. e delle Pen.* §. 24. Hatcheson *Syst. Phil. Mor.* Tom. II. L. II. C. IX. §. XI.

“sureté de l' Etat & des Citoyens; elles ne doivent ja-  
“mais s' etendre au dela de ce qu' exige cette sureté.  
“Dire que toute peine est juste, quand le coupable a  
“connu d' avance le châtiment auquel il s' exposoit, c'  
“est tenir un langage barbare, contraire a l' humanité &  
“a la Loi Naturelle, qui nous defend de faire aucun mal  
“aux autres, à moins qu'ils ne nous mettent dans la  
“nécessité de le leur infliger, pour notre défense & no-  
“tre sureté” (g). Prudentis & humani Legislatoris est,  
jus suum puniendi ita exercere, ut lenissima via ad ma-  
ximam salutem securitatemque perveniat Reip. *Sed hoc*  
*opus: hic labor.* Præcepta quidem generalia traditu non  
sunt difficultia. Unicuique, rem oculis perpendenti atten-  
tis, primo patebunt obtutu. Illa autem inter se pruden-  
ter & evidenti connexa ordine, in usum viræ commu-  
nem deducere, & ad illorum normam Leges sancte Ci-  
vitatis sapientissimas, opus unius hominis, unius æta-  
tis non fuit, nec forte erit in posterum. Summis & Di-  
vinis fere ad illud peragendum ingenis opus est, quæ  
cum pleraque parcus videant secula, quid mirum, Le-  
ges tamdiu tantumque a summa sua abesse perfectione.

## §. IV.

Fundamentis igitur hisce positis, proprius jam ad me-  
tam properabimus nostram. Legislatori certis delictis  
ultima statuendi supplicia jus esse, nemo facile negave-  
rit. Cum enim Lege Naturæ, ad salutem promovendam  
Civitatis obligatus sit, necesse est ut vias, quibus ad hunc  
finem pervenire possit, ingredi ipsi liceat; *qui enim vult*  
*finem, velle etiam debet media, celebris est Philosophorum*  
*Regula.* Si itaque finis Civitatum, qui salus securitas-

que

(g) v. Vattel *Droit des Gens* p. 69.

que publica est, non nisi morte obtineri possit maleficium,  
quoniam ille de medio tollendus sit, haud est dubitandum,  
cum ex duobus malis propositis, minus eligere pru-  
dentis sit. Quando autem, quibusque ex causis jus &  
æquitas usum illorum permittat, in sequentibus diligen-  
tius contemplari studebimus.

Leges poenales, in plerisque Europa Civitatibus, fre-  
quentissimis sèvire suppliciis capitalibus, fatendum qui-  
dem nobis est. Primæ mortalium in statu Naturali feroci-  
tati, savitiam hanc originem debere, in genere ediri  
affirmare liceat, nimiam tamen & perversam, qua seve-  
ra Judeorum statuta forensia Legislatores prosecuti sunt,  
venerationem, ad illa retinenda, imo augenda sapius,  
quam platinum contulisse, extra omne dubium est. No-  
vimus enim Leges hasce Mosaicas, toti fere Europa, ma-  
gnam partem in Judiciis diu foisse observatas, ita ut in  
disceptionibus forensibus & lentiis, ipsissima illarum  
verba, capite & commate citatis, ex stilo curiae adfer-  
rentur. Cujos moris ad nostra usque tempora remansit  
vestigium in juramento, quo se hodieque obstringunt  
Judices Patrii, secundum Dei Successorum Leges statutaque  
jus semet dicturos (b). Hinc vero illa etiam justa esse, &  
æquitati congrua Juris Naturæ, assertere tanto minus li-  
cabit, quanto certius constat, Leges Civiles, omnibus  
mundi temporibus, iustum quod esset æquumque, semi-  
per assutas minime esse, sed sèpè præcepta Juri  
Naturæ sanæque rationi e diametro inculcasle opposita.  
Cum res in Judiciis foroque disceptantur Civili, Le-  
ges, quid iustum rectumque sit consulendæ sunt Judici-  
bus. Ad forum autem devolutæ Jucis Naturæ, e foliis e-

(b) v. Cel Rabenii *Litteras ad J. D. Michaëlis da-  
zos, Jurique bujus Mosaico præfixas.*

jus principiis placitisque dijudicandæ sunt. Evanescit hic omnis, Legum Civilium, omnis consuetudinum auctoritas, nec acquiescit, in veritate occupatus investiganda, hujuscemodi argumentis Philosophus.

Legislatorem in genere circa poenas observare oportet capitales, ne illas saepius statuat infligendas, quam satis Civitatis illas necessario exigat. Bonorum omnium Principis Civitatisque concreditorum administrationi, vita Civium carissimum est, in qua conservanda opera itaque omnis studiumque ejus versari debet, adeo ut non nisi gravissima ob delicta morte civis multari debat. In peccata itaque quæ vel nihil, vel parum omnino damni securitati inferunt publicæ, mortis ne constituat supplicia. Monitum autem hocce, Legislatores (posterioris præfertim ævi) saepius non observasse, Historia pluribus testatur locis. Quot millia hominum, ob diversas, in rebus ad Religionem pertinentibus, sententias capitis damnati? Quot funeribus? quot & quam cruentis persecutionibus ansam dedere Hæreses & Schismata? Ut antiquiora præterea tempora, illas solum nominasse sufficiat, quæ post CHRISTUM natum, plerasque vexarunt mundi habitati partes. Nescit quis calamitates cladesque quas & quantas, a Romanis aliisque Gentium Imperatoribus, cœtus accepit Christianorum, primis post CHRISTUM seculis? Nescit quis exitum, ortarum inter Christianos ipsos dissensionum, crueatum plerumque & funestissimum? Hæreticos quot rogis impositos, gladio, vel alio quoconque suppliciorum genere interemtos? Quam multo denique sanguine, quot cædibus, judicia sic dicta Inquisitionis, recentioribus etiam polluta temporibus? Sunt hæc cuivis notiora, quam ut pluribus ea differere opus sit.

Pudet

Pudet me peccata memorare, seculis illis barbarie & ignorantia horridis, acerrime punita. Superstitiones ridiculae & absurdæ, præcantationes, foedera cum malo Genio inita, ceteraque hujus turpis crimina, digna habita fuere quæ non nisi capitalibus, iisque crudelissimis plecterentur suppliciis. Parum antem illa securitati noxiisse Civitatum, poenasque adeo illis infictas capitales, tam injustas fuisse, quam perniciose, nemo est qui non videat.

Valet idem fere de delictis morum castimoniam Iædentibus, paci tamen Civitatis externæ non inimicis, quæ pudor hic recensere vetat. Ultima dum hisce constituuntur supplicia, sanguis in vanum profunditur Civium, & crudelitate id queritur inhumana, quod institutis sapientibus & prudenti castigatione æque facile, quin facilius consequi potuissent Summi Legum Latores.

## §. V.

Si porro in delictis, securitatem turbantibus publicam, vindicandis, poenas capitales plerumque & in genere necessarias neque esse demonstrare valuerimus, parum firmitatis fundamentis supereste credimus, quibus Leges cruentæ, consuetudines & opiniones nituntur anticipatae. Poenas capitales Civitati necessarias esse, cum securitas ejus alio etiam pacto obtineri potest, dicere haud convenit. Si itaque alia quæcumque mitiora supplicia, huic fini sufficiente assequendo, Civitatem durioribus carere posse per se clarum est. Vinculis præfertim si secessi plectantur perpetuis, securitati satis provisum fore publicæ, totus confido, quod & pluribus, in illis quæ sequuntur, erimus demonstraturi.

Præclare eti rem humani genesis egerit III: BEG-CARIA,  
B 3

CARIA, omnibus tamen ejus argumentis, quibus poenas impugnaverit capitales, salva veritate assentiri vix possumus. Ex eo enim quod ratus infligantur, horrorem illarum oblivione obrui exigit, homines illarum tandem non meminisse, frenumque adeo, quod maleficos coercent, penitus tolli. (i) Satis contra ea & veritati convenientius dixisse erit, illas, quo effectu non careant, rarissimas esse debere, & non nisi delictis imponendas atrocissimis. Experientia enim duce novimus, quasvis representationes, saepius ob oculos positas, affiduitate vim suam amittere, animorumque ad illas vix demum attendere nostrum; cum contra ea quæ rarius nobis sustentur, & fortius animum afficiunt, & diutius memoriam sui in mente retinent. Poenas itaque capitales nimis frequentes ne statuat, sibi cavere debet Legislator; frequentes enim si evaserint, illas denique spernere aspuescant improbi, formidoque, quam incurere deberent flagitorum, affiduitate illarum evanescat pereatque necesse est. Spes impunitatis ad scelerata audenda incitat; non suppliciorum lenitas, modo commoda superet e maleficiis percepta, poenæ certæ sint, memoria earum recens temper maneat, & animi hominum poenis non obduruerint atrocioribus.

Habent utique perpetua vincula tantum mali, quanto ad formidinem injiciendam scelerum opus est. Sceleratum intueri, ad perpetuam captivitatem gravissimosque preferendos labores damnatum, non potest non terrorem morterrimo cuique asserre homini. Insitus adeo innatusque plerisque, ne dicam omnibus, est libertatis amor, ut nullo tolli possit negotio. Calamitosum quendam, ad summam redactum inopiam miseriariamque, liberum tamen, carcerem optaturum perpetuum, ubi omnium rerum, præter libertatis, afflueret copia, vix mihi persuaderim.

(i) V. Libr. ejus super. cit. §. XVI.

ferim. Quanto minus, si custodia huic labor jungetur molestus, contemtus ludibriaque, cibus vilis & tenuis, ut cetera mala taceam, e quibus, prius quam e vita, ipsi non licet excedere. Tanti fere infimus quisque libertatem suam facit quanti Imperans. Jactura igitur illius, modo scelerum inevitabilis comes sit, quin maleficiis plerisque sufficiat coercendis, nullum mihi videtur dubium.

Docent nos annales omnium ætatum, non unum aut alterum, sed plurimos, vultu morti obviam ivisse intrepido. Debiti instar, quod aliquando, citius seriusve, Naturæ esset persolvendum, Stoico & quieto animo illum non nulli spectarunt, quam itaque fugere, infipientis esse putarunt & stolidi. Alii furore duchi male fano, vanam gloriolam suique captantes admirationem, ad interitum ruerunt voluntarium. Factioni, sententiis, imo sceleribus suis quo satis facerent, quot non sua sponte se neci devoverunt? Placida mente ridentesque ultimata illum terribilem exaudiere mortis sententiam: horrore illius contemnendo satis habuere virium, morientesque (quod vix crederes) morti insultarunt pervicacissimi. Nec pauci, desperatis rebus suis, mortem vel propria sibi concivere manu, vel etiam in aperta se conjectere capitis pericula. Vita doloribus ærumnisque refertiissima, mortem multo existimarunt feliciorem: non cruciatum, sed ærumnarum requiem, bonum quod cuncta illorum mala dissolveret. Ostendunt hi, forte & plures alii, suo exemplo, mortem tantum non habere terroris, nec omnium adeo afficere animos, ut insuperabilis metus ejus sit, poenæque adeo capitales in genere certas non esse, quibus sceleribus obex ponatur & flagitiis.

Perpetuis contra ea detineri vinculis, malum quoddam est, quod apud Gentes altioris animi, non possint non

non semper reformati homines: ad quod voluntarie subeundum, nemo aut pauci certe, fatis habuere animi & alacritatis. Si & Stoicus quidam, vel alias quicunque male sanus, tantæ, ut illa spernat, fuerit temeritatis, ad sanitatem cito revocatum videbis, dummodo bene de pexum custodia & labore castigaveris graviori. Honorem quandam imaginarium, comitem huic nunquam adjunxere mortales: semper contemtui habita est servitus. Voluntaria subire vincula, nunquam magni & excelsi, sed abjecti humiliisque semper habitum fuit animi. Tardio præsentis, speque melioris in posterum conditionis, vincula appetere, ubi omnis generis mala in supplicium confluxere malefici, adeo contra Naturam est, ut vix quicquam fingi possit absurdius. Cum paupertate omniumque rerum inopia, qui diu multumque conficitatus fuerit, mortem denique ut bonum quoddam considerat, saltem ut minus malum, quam statum præsentem suum calamitosum. Hic mortis contentus, ad illicitas vitam sustentandi vias, ipsum compellit ingrediendas, ad furtæ, rapinas, latrocinia & cetera hujuscemodi facinora. Quæ ex his, ex animi sententia perpetratis sperare possit commoda, poenam, si male cesserint, illa subsecuturam capitalem multo præponderant, cum mortem malæ quid esse vix sibi persuadeat. In vinculis contra eaduris perpetuisque, nihil certe boni sibi repræsentare poterit. Jactura libertatis, ceteræque servitutis calamitates, ad vitæ usque finem perferendæ, multis nominibus manus malum ipsi videantur necesse est, quam præsens ejus status, si vel molestissimus.

## §. VI.

Si his Religionis majestatem, non optimo consilio noxiorum suppliciis additam, ritusque illos & apparatus adjun-

adjunxeris solennes, quibus ad supplicia plerumque duci solent capitis damnati, parum utique, quod horrorem spectatoribus stolidis & superstitionis injicere possit scelerum, poenis hisce restabit cruentis. Non minus absurdam, quam Reip. perniciosissimam homines in universum fovent sententiam, omnes quibus violento modo emori contigit, certos fere esse de illis obtainendis præmiis, quæ Virtuti Pietatique, in futuram vitam reservavit justissimus rerum humanarum Moderator, qua itaque spe illeatos, plures hunc exitum studiose affectasse novimus. Metum imminentis supplicii, operamque, quam in illos emendandos infumunt singularem Verbi Divini Ministri, non posse non ipsos ad meliorem revocare frugem, poenasque adeo captales, certissimam ad gaudia atsequenda coelestia patefacere viam, plebi persuasissimum est. Quantum securitatis salutisque poenis capitalibus consequatur Resp. hujuscemodi dum errores animos devinctos tenent hominum, facile quisque intelligit.

Nec minus fini repugnant poenarum apparatus solennes, quibus ultima maleficorum cohonestari solent supplicia. Qui vel parum animum humanum ejusque indolem noverit, illum rebus, sensus sufficientibus externos, facilime moveri, perspectum sibi habeat oportet. Externa rerum species, illas ut bonas vel malas, honestas vel inhonestas in mente repræsentat. Si in plecten dis improbis, pompa quædam ritusque adhibeantur splendidi; cultu potius quam contemtu illos prolequuntur homines. Memoria scelerum eorum deperit: vel veneratione, vel commiseratione animi afficiuntur populi, vixque recordantur, supplicium de scelestis sumi, moribus factisque eorum dignissimum. Plerique mortales postrema meminere, & in hominibus impiis, sceleris illorum oblii, de morte venerabundi differunt honesta. Care-

Carebunt sic dura hæc supplicia omni fere effectu, omni utilitate, terraque in vanum cruore humectatur Civium. Benevolentia hæc, ad compensandam quasi supplicii crudelitatem, reo præstita, nulli ei erit usui: dolores haud quaquam ejus mitigat: nihil certe solatii hinc percipere potest morti immolandus. Dici autem vix potest, quantum detrimenti hinc accipiat Resp. Scelera scelestosque detestari animi sensim dediscunt Civium. Poenas flagitiis Leges necquicquam statuunt: animos denique non terrebunt mortalium. (\*)

## §. VII.

Ab improbo præterea, tuta satis Civitas esse videtur in posterum, si catenis compedibusque vincitus in firmum contrudatur carcerem, fidisque & accuratis committatur Custodibus. Miserum, qui aliis aufugiendi viis, quam quas propria ipsi ministrat solertia, non gaudet, captivum tenere, opus nequaquam videtur difficile. Vix fugam prius moliri poterit, quam conatus ejus detecti erunt impeditique.

Apprime certe necessarium est, ut fida custodia teatneat vinculis puniendus perpetuis. Si enim unus aut alter

(\*) Fatemur quidem, splendidos hujuscemodi apparatus in maleficiis morte puniendis, ad ipsam poenarum capitalium naturam non pertinere, potius autem modum illas sumendi ineptum noxiunque esse ostendere. Cum autem mos hicce perversus, ita plerisque invulerit locis, ut necessarius quasi ultimorum suppliciorum comes videatur, non potui quin paucis mentionem ejus injicerem. Certum enim est illo vigente, si vel ratiōne morte multarentur improbi, poenis capitalibus multum horrois decidere.

alter fuga illis liberatus fuerit, non possunt non sceleribus dediti, spe aufugiendi illecti, præcipites ad scelera ruere patranda. Quantum mali in Remp. invehat fugæ aut impunitatis spes: improborum numerum immagine quantum augeat & flagitorum, quemvis intelligat oportet. Quo itaque spes hæc scelestis præcidatur, necesse est ut plures constituantur Custodes, qui centum quasi Argi oculis, non poterunt non omnes illorum evadendi conatus detegere: ut firmi exstruantur carceres, quibus nullam inferre vim valeant captivi: ut severe puniantur Custodes, si ipsorum vel incuria, vel bona venia salutem fuga quæsierint custodiendi: ut iidem sufficientibus annuis stipendiis instruantur, quibus vitam honeste sustentare possint, ne inopia cogantur, pecuniis præmiisque acceptis, ansiā elabendī suppeditare maleficiis &c. &c. Sumtus qui hinc Civitati accrescunt, satis superque diurnus miserorum labor competentabit; prætereaque parcimoniae studio, crudelem sanguinisque prodigum esse humani, mitem nequaquam decet Legislatorem.

Patet itaque ex his quæ jam dicta sunt, poenas capitales adeo non esse necessarias, ut ne illis plerunque carere possit Civitas, vinculisque contra ea perpetuis, securitati ejus satis consuli.

## §. VIII.

Sed nec illas, necessitate remota, Civitati utiles esse, facillimum erit demonstratu, Multitudine industriorum Civium, salutem nisi Reip. nemo est qui non largiatur; clara enim adeo est hæc propositio, ut Axiomaticis instar haberet posse. Ejusmodi itaque abstinere Leges oportet suppliciis, quæ nisi summa postulante necessitate, vitam sanguinemque profundunt Civium, damnumque adeo in Remp. arcessunt. Homo integra val-

tudine, si modo opera ejus rite adhibeatur, inutilis esse non potest. Dantur variæ victum exercendi viæ, quas eligere possint Cives; multa opifia, quæ operarioruna inopia inulta jacent languidaque. De paucitate querentes Civium, quotquot ad *Oeconomiam* sublevandam publicam animum applicuerunt, quotidie audire licet. Variis modis, nec sine fructu, inopia huic succurrere conati etiam sunt Summi Civitatum Rectores; paucissimis autem locis, de suppliciis capitalibus, quæ directe adeo Remp. incolis spoliant, cogitatum esse minuendis, dolendum est. Ad vincula damnatus, si modo laborare cogatur, Civitati utique proderit. Non impensas solum, quas in eum sustentandum facit Civitas, perpetui ejus labores refarcire queunt, verum etiam lucri quid insuper addere. Mr VOLTAIRE ingeniose ut solet, hac de re ita loquitur: "On a dit, il y a long-tems, qu' un homme pendu n'est bon a rien, & que les supplices, inventés pour le bien de la société, doivent être utiles à cette société. Il est evident, que vingt voleurs vigoureux condamnés à travailler aux ouvrages publics toute leur vie, servent l'Etat par leur supplice, & que leur mort ne fait de bien qu' au bourreau, que l'on paye pour tuer les hommes en public." (k)

Quantum lucri, ex illis ad servilem perpetuanque damnatis operam, qui alias securi, suspendio, vel alio quocunque suppliciorum genere essent perituri, per singulos annos perciperet *Europa*, is facile estimaret, cui annuus constaret capitis damnatorum numerus. Illum insignem Principumque dignum fore attentione, certum est. De catervis hominum, morti nulla urgente necessitate

(k) v. *Ejus Commentaire sur le Livre: Des Del. & des Pein.* N. X.

sitate oblati, non possunt non clementes, & de salute Civium solliciti dolere Principes. Amores deliciæque generis sui, nesciunt hi nunquam satis pretii sanguini humano statuere.

Quo autem modo servi publici, maxime Civitati prodesse possint, operaque eorum in usum converti publicum; quali teneri debeant custodia: quot & quibus locis ejusmodi carceres exstruendi sint &c. prudenti Summi Magistratus arbitrio committendum putamus, nec proprie nostræ videtur indaginis.

Accidit interdum, ut Principes, in quibusdam puniendis delictis hanc sequantur regulam, sanguini partendum esse Civium, ne Civitas justo majori afficiatur damno. Si multitudo quædam, seditionis, cædis, latrocinii, vel cujuscunque alijs delicti capitalis accusata & convicta fuerit, ex rigore Legis rarissime omnes plecti videmus, unus etsi non minus atque alter facinoris participes fuerit Legibus silentium imponitur, supplicisque rei afficiuntur levioribus, ne multi pereant Cives. Praeclara utique caussa, quam sane in puniendis delictis semper sibi propositam habeant Sumi Legum Administratores! Aequalē Civitas jacturam facit, si viginti privenius convictis flagitiis. Illi autem, omni sine commiseratione, morte multantur acerba: hos Lege solvere e Republica videtur Principi. Singulos latrocinii e. g. socios, minoris non existimaverim culpæ reos, quam qui solus rapinam exercuerit. Illi morte liberantur, cum adeo fuerint prudentes, ut socios scelerum sibi plurimos adjunxerint, quorum opera viribusque adjuti, tanto facilius tutiusque alij rum diripuerint opes fortunasque: Hic omni destitutus auxilio, præsidis orbatus omnibus, la-

queo plectitur. Aequalia scelera, inaequali afficiuntur vindicta. Minus congruum quis hoc non videat? quis non iniquum? Illucescit magis atrocitas inhumanitasque Legum, cum multitudo civium uno quasi ictu necanda est, quam cum singuli vita orbati erunt. Unius Civis una vox, unius gemitus lacrymæque ad solium penetrare non valent: imbecilliores sunt, quam ut inclemtes afficere possint Legislatores: fortior efficaciorque, dum plures simul gladio jugulum præbebunt, vox humanitatis est. Guttas, vix rivos sanguinis, ferrei non horrent animi. O si certa, si vera & justa securi fuisserent Legislatores principia, dum Legibus societatem donarunt humanam! Si salutis Civium & Reip nunquam obliiti fuissent! Formidine Legum cruentarum genus exterritum fuisset humanum, Principisque in eo sita fuisset clementia, præscriptum Legis in puniendis delictis sequi.

#### §. IX.

Si porro delictis justo pluribus poenæ infligantur capitales, fieri non potest, quin justa inter delicta negligatur proportio, & perversæ animis hominum, de facinorum atrocitate instillentur notiones. Si furto e. g. æqualis atque atrocissimo cuique sceleri poena statuatur, furem incendia, cædes vel alia nefaria simul molitorum videbis crimina. Ab illis enim audendis, modo ut flagitium suum sic fore speraverit innocentum, quid quæ illicum abstinebit, si in foro Civili æqualia hæc reputentur delicta? si idem furem atque homicidam mortis maneat supplicium? (1)

Ratio hæc inter ipsa scelera poenasque neglecta eorum, spem præterea impunitatis, sapissime præbere potest improbis. Cum enim flagitia minus nefaria atrocissima

aque

(1) v. BECCARIA Lib. cit. §. 15.

aque crudelibus cruentisque afficiuntur suppliciis, reum in jus vocare, religioni sæpe homines mitioris ingenii ducunt. Legum detestantur immanitatem; commiseratione tanguntur delinquentis, potiusque ad celandam quam detegendam culpam ejus opem conferunt; cum contra ea, si delicta eorumque supplicia pari paſtu ambulent, magis de illis puniendis cives solliciti sint.

Nocent denique Reip. frequentes poenæ capitales sequenti adhuc respectu. Res, quibus longo & continuo usu animus assuelcit, inclinationes indolemque ejus formare experientia nos docet. Cui pompa magnificisque apparatus sémper ob oculos versantur, splendidiōri delectatur viuendi ratione. Qui capitis pericula sæpe adiit, mortis tandem formidinem susque deque habet. Qui molliori & delicato vivendi genere aliquamdiu usi sunt, effoeminati fiunt laborumque impatientes: & sic porro. Sic & qui effusionibus sanguinis, cædibus cruentisque assueuerit suppliciis, illa demum horrere definit, crudelisque & inhumanum esse in naturam ipsi vertitur. Misericordiæ omnis & humanitatis obliviscitur, verba mente casta illa existimans. Aliorum dolere malis, vitii quid ipsi demum videtur, animoque ejus callus quasi obducitur, ut ne funestissimis quidem afficiatur suppliciis. Exempla hujus rei ex Historiis proferre, locus non patitur. Qui vel parum hominis naturam perspexerit, experientiamque ad hæc secutus fuerit quotidianam, veritatem ejus cito perspiciet. Infandum! Leges eum in finem, ut homines feritate sua naturali exutos, ad manuetam & humaniore ducent ritu rationem, latas, duros contra ea animos eorum reddere ferreosque, omnis expertes humanitatis. Mentes ita tandem obdurebunt mortalium, ut atrocissima quæque illos non moveant. Secures laqueosque demum non horrent malefici.

Coro-

Coronidem § huic imponant verba Cl. VATTEL,  
qui apte admodum in rem mihi distinere videtur:  
"L'expérience nous fait voir, que l'imagination se fami-  
"liarie avec les objets qu'on lui présente frequemment,  
"Si vous multipliez les supplices terribles, les peuples  
"en feront de jour en jour moins frappés; ils contra-  
"steront enfin comme les Japonnois, un caractère d'atro-  
"cieté indomptable; Ces spectacles sanglans ne produiront  
"plus l'effet, auquel ils sont destines, ils n'épouvan-  
"teront plus les mechans. Il en est de ces exemples  
"comme des honneurs; un Prince qui multiplie à l'ex-  
"ces les titres & les distinctions, les avilic bien-tôt; Il  
"use mal-habiliement l'un des plus puissans & des plus  
"commodes ressorts du Gouvernement. (m)

Filum quod hic abrumpere cogimur orationis no-  
stræ, ut tempus facultatesque permiserint, deducere co-  
nabimur.

(m) v. *Eius Droit des Gens* p. 69.



*Dissertatio Theologica*

*De iis*

*Quæ in Religione Christia-  
na ignorantur,*

*Quam*

*Conf. Vejer. Facult. Theol. Aboëns.*

*Præside*

*Mag. JAC. TENGSTRÖM*

*S. S. Theolog. Prof. Reg. & Oraiu. nec non Fac.  
Theol. b. t. Dec.*

*Pro summis in Theologia honoribus*

*Publico examini modeste offert*

*JACOBUS BONSDORFF,*

*S. S. Theol. Licentiat. & Docens.*

*In Audit. Acad. Maj. die XVI Apr. MDCCXCI.  
horis a. & p. merid. sol.*

*ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.*